



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Variorum In Europa Itinerum Deliciae

Chyträus, Nathan

[Herborn], 1599

VD16 C 2803

Flandrica.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-70708](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-70708)

*Audiendo clementer, juvando ex arumnis;
 Subjicient se tibi ad honorem tuum.
 Ubi est Roboam, qui sapientum consilium contempsit?
 Premere etiamnum vis duriter subditos?
 Satin' affecerunt nos virgarum plage?
 Quarisne scorpiones ad plagas infligendas acerbiores?
 An patris tui mandatū & virga innocentibus lenior fuit?
 An etiam scorpionem Inquisitionis in Belgiam
 Meditaris inducere? tibi contingit quod Roboamo,
 Qui delectaris bello, & pace fallace.
 Istāne est tandem merces laborum meorum,
 Quos contra tuos hostes sustinui plurimos? (tibi.
 Opibus meis, sanguine, vita, semper parata ad serviendum
 Unde nominis tui fama celebrata est in terras universas;
 Nominis tui eram decus, & corona tua ornatus.
 Pro beneficentiā maleficium accipio mercedis loco?
 At o leo rugiens & urse violentissime,
 Qui tot annis bella contra me gessisti cruenta,
 Et in pradam tradidisti tyrannis peregrinis,
 Ventos hereditatis nomine accipies, qui sic propriā domum
 contristas.
 Mercedem latrocinii & animi inconstantis &c.*



FLANDRICA.

ARCUS TRIUMPHALIS, QUEM
 FLANDRI INSULANI EREXERUNT,
 CUM ISTAC TRANSIRET PHILIPPUS
 Rex Hispaniæ, inscriptio, sub imagine
 Caroli V. Cæsaris.

*Quis te victorem dicat qui vinceris ipse,
 In victus victo Cæsar ab hoste tuo?
 Si veniam victus petit hostis, protinus illi
 Parcis, & errati te meminisse piget.
 Non te hostis, Cæsar, sed te clementia vincit,
 Et ratio, cum sis victor & ipse tuus.*

*Vincere laus ingens hostes, & parcere victis
Gloria, sed sese vincere major erit.*

MONETÆ GANDAVENSIS.

AB UNOLATERE.

Anno xxci. Religione & Justitia reduce, vocato ex
Gallia pacata Duce Andegavensi, Belgicæ libertatis vin-
dice.

IN ALTERO.

Ganda pro Christo, lege, grege & patria.

IN ADVENTU

DUCIS ANDEGAVENSIS.

*Abstulit ut regni Dominus moderamina Sauli,
Et reprobum sancti privavit numinis aura,
Præfecitq; suo Regem Davida popello:
Sic modo depulsis patria regnoq; tyrannis,
Dux generose tuo voluit nos Marte tueri.*

SUB SOLE RADIOS SPARGENTE, ET SYM-
bolo Ducis, FOVET ET DISCUTIT.

*Exoriens veluti obscuras sol discutit umbras,
Arvaq; nativo lata calore fovet:
Non secus adventu dispergis nubila Princeps,
Ac libertatis spe recreas populum.*

Ad suggestum prope curiam.

*Venisti tandem, tuaq; expectata tueri
Ora datur?*

Item.

*Hunc tamen everso juvenem succurrere seculo
Ne prohibete, &c.*

ÆNEÆ A MARIVORTA.

Quis sim, quis olim, quis denique

Vivens

Vivens fuerim, requiris hospes optime:
Sum pulvis, olim nobilis.
Dum fata vitam haud invident superstitem
Belli, toga, domi, foris.
Heroas inter splendidos haud infimus,
Et miles & dux agminis.
At forte nomen & genus quasi veris
Et patriam de nomine;
Respondeo quod Cypridos quondam fuerit,
Gnato, Creusa conjugis,
Idem parentes indidere infantulo,
Vocatus Æneas fui.
Gens Mari-vorta originem mihi dedit
Antiquitate splendida.
Brugis in auras me mater primùm tulit,
Herois inclyta & pia.
Quid sim, quid olim (vel potius nuper) fui,
Scis hospes. at tu quis sis,
Tenebris situs nequeo quidem cognoscere;
Sed tute te ipsum noveris.



LEIDAE.

LIPSIANI HORTI LEX IN
 IPSO ADITU, SUB PERSONA
 BIFRONTIS JANI. B.F.

Quisquis es, STA, LEGE, PARE.
 JANUS ad hoc limen sic EDICO.

I. Horto & hero fruendi tibi jus esto:
 Sed illo ad aspectum, isto ad sermonem.
 Nisi oculis, quidquid heic satum aut natum,
 ne LIBATO.

Tiro esto, manum apud te habeto.
 Si effers ad tactum aut ad raptum:
 Verbo dicam, te efferto.

Mm